



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

XXX. De eo si quis ab apostolico falsam detulerit epistolam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

camus, & nos id acturos profiteamur, ut nullum
seruum episcopus ordinare præsumat, antequam
perfecta ditetur ingenuitate, quia non debet vilis
persona fungi sacerdotii dignitate. Leo papa in
epistola sua, capite primo: Debet enim esse ab aliis
securus, qui diuinæ militiæ fuerit aggregandus, ut
a castris dominicis quibus nomen eius adscribitur,
nullis necessitatis vinculis abstrahatur. Gregorius
in decretis suis, capite septimo: Multos ex
ecclesiastica familia nouimus ad omnipotentis Dei
seruitium festinare, ut ab humana seruitute liberi
in diuino seruitio valeant conuersari. Si vero festi-
nantes ad omnipotentis Dei seruitium incaute re-
tinemus, illi inuenimur quædam negare qui dedit
omnia. Vnde necesse est, ut ab humano serui-
tute liber recedat, qui diuini obsequii districtam
subire appetit seruitutem. Sancta Synodus dixit:
Præfinita patrum statuta inuiolabilem habeant
firmitatem.

XXX.

^dIn memoriam beati Petri apostoli honoremus
sanctam Romanam & apostolicam sedem, ut quæ
nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat
magistra ecclesiasticæ rationis. Quare seruanda est
cum mansuetudine humilitas, ut licet vix feren-
dum ab illa sancta sede imponatur iugum, confe-
ramus, & pia deuotione toleremus. Si vero, quod
non decet, quilibet, siue sit presbyter, siue diaco-
nus, aliquam perturbationem machinando, & no-
stro ministerio insidiando, redarguatur falsam ab
apostolico detulisse epistolam, vel aliud quid, quod
inde

ANNO
CHRISTI
895.

inde non conuenerit, salua fide & integra circa apostolicum humilitate, penes episcopum sit potestas, vtrum eum in carcerem, aut in aliam detru- dat custodiam, vsquequo per epistolam, aut per idoneos suæ partis legatos, apostolicam interpel- let sublimitatem, vt potissimum sua sancta legatio- ne dignetur decernere, quid de talibus iusto ordi- ne lex Romana statuatur diffinire, vt & is corriga- tur, & ceteris modus imponatur.

XXXI.

Tranquillitatem sanctæ Dei ecclesiæ inquieta- ri, & pacem fraternam infestari testantur fures & latrones, qui ambulant inter nos ouina pelle ob- umbrati, sed lupina mente recedunt alienati, res ecclesiarum sæua mente adducti rapientes, & gre- gem dominicum spoliando lacerantes. De quibus Saluator in euangelio commemorat: *Qui non in- trat per ostium in ouile ouium, ille fur est & latro.* Iohn. 10. Atque subiungit: *Fur non venit, nisi vt furetur, & mactet, & perdat.* Vbi quamuis hæreticos qui fidem furantur ecclesiæ designet; tamen insecutio- ne furum & latronum turbatam monstrat pacem ecclesiarum. De talibus Apostolus ad Philippen- ses: *Videte canes, videte malos operarios.* Philipp. 3. Canes voca- uit, quod non habent verecundiam: malos opera- rios, quia nulla faciunt quæ pietati conueniunt. Et Dominus per prophetam Isaiam: *Ego Dominus di- ligens iudicium, & odio habens rapinam.* Isa. 61. Vnde nos quæ Dominus diligit diligentes, & quæ odit odio habentes, statuimus & iudicamus, vt si quis post hæc euangelica & apostolica atque prophetica